1.

IN CATILINARIAS PRODITIONES, AC PRODITORES DOMESTICOS, Odæ 9.

OXONIÆ, ex Officina Typographica Iosephi Barnesii, Anno 1586.

ODÆ 9,
ORNATISSI-
MIS VIRIS D. DO-
CTORI IAMESO, Æ-
DIS CHRISTI OXON. DE-
CANO, ET D. DOCTORI HE-
TONO PRODECANO, CÆTERIS-
QVE CLARISSIMIS ATQVE OP-
TIMIS VIRIS EIVSDEM EC-
CLESIÆ PRÆBENDARI-
IS, ET PRIVATÆ OB-
SERVANTIÆ, ET
PVBLICÆ PIE-
TATIS ERGÔ,
DICATÆ.

In Domesticas, & immanes nostrorum hominum ac temporum proditiones, ODE PRIMA.

NVnc est per auras cum libet hinc rapi
Quácunq; turbo præcipitem vehat,
Alcidis vltra vel columnas,
Magnanimosue Draci labores.
Nunc est sub antro quando libet tegi,
Ipsisq; vitam degere cum feris,
Et glande vescentem caducâ
Innocuis latitare Syluis.
Quò Proditoris nulla domestici
Pertingat vnquam fama, vbi perfidus,
Læsæq; maiestatis vnquam
Nemo mihi reus audiatur.
Quæ dira, credam, toxica moribus
Aspersa nostris? tempora quæ putem?
Quæ terra? quæ gens? quæ libido
Non nisi grande nefas patrandi?
Facunda culpæ nostra quot edidit
Ætas Cethegos? quot modò Lentulos?
Iam creber vrbi, Consuliq;
Insidias Catilina tendit.
Monstrumq; maius, crimina pullulant
Dum puniuntur: iamq; oritur scelus
Non vnum in vno, sed resecta
Proditio, velut Hydra, crescit.
Ecquando ponet vincula carnifex?
Sontisq; tabem sanguinis abluet?
Ecquando securas secures
Aspiciam, vacuamq; Turrim?

O Christiani infamia seculi
Contracta nuper! proh scelus, & nefas
Non iam Britannis, sed vel ipsis
Turcigenis etiam pudendum.
Nostri quis orbis, vel Tagus eluet
Nilusue tantam, vel Thamesis notam?
Non ipse qui cingit Britannos
Caeruleus pater expiârit.
Collecta, per tot secula, criminum
In nos redundat sarcina, perdito
Æuo grauamur, quo malorum
Omne genus, scelerumq; regnat.
Non his, iuuentus inclyta, moribus
Regno ferocem adiecit Hyberniam,
Gallumq; & Hispanum fugauit
Non semel, indomitumq; Scotum.
At nostra turpi dedita luxui,
Fortisq; solam virginis in necem,
Artes dolosas tractat, ex quo
Italico medicata fuco est.

In horribilem, & plane Catilinariam coniurationem nouissimè factam,

ODE 2.

ERgone si quid fraus poterat mala,
Extinctam Elisam lugubris Anglia
Iam fleret? arderent q; naues?
Iam patriam cinis occuparet?
O impiorum viscera barbaro
Obducta ferro! posteritas fidem
Facti negabit, vix vel atas
Nostra putet scelus institutum.

Regina

Regina tantum quid meruit pia?
Regina miti Candida pectore,
Diuina virgo, quâ recurrens
Nil melius videt orbe Titan.
Non illa vobis, dira lues, placet:
Ast illa nobis perplacet, & Deo,
Sanaq́ plebi, quam tuentur
Tot Procerum, populiq́ vota.
Vos terra Diris prosequitur pijs,
Poscitq́ panas immiserabiles;
Odere cines, virginumq́
Casta cohors scelus execratur.
Vix dum ipse tantos deposui metus;
Totus stupesco, membra quatit tremor,
Cùm destinati saeua mentem
Forma mali: subit, atq́ imago.
Detestor omen; sed video tamen
Crudeli Elisam vulnere sauciam.
Pulchros per artus ire cerno
Virginei lateris cruorem.
Collapsa ceruix in niueos sinus
Laxè recumbit: sic vbi lilia
Succisa languescunt aratro,
Aut pluuiâ grauidum papauer.
Flagrare classem cerno Britannicam,
Vrbes cremari, famineos rapi
Artus capillo, virgines q́
Et iuuenes trepidare inermes.
Quò tam impotenti Musa ruis pede?
Ah siste: res hac digna Philippicis,
Aut asperi diris Iambis
Archilochi, aut Senecæ cothurno.

In Sereniſsimam Reginam Elizabetham eximminente capitis periculo ereptam,

ODE 3.

Quis mihi centum Deus ora, centum
Quis dabit linguas, totidemq; voces
Ferreas, plena pia quæ refundant
Gaudia mentis?
Muſa, dic cantus, age, ſeculares,
Carmen in Feſto mihi ſeculari
Prome, quod lorgùm, Dea, ſeculari
Viuat honore.

Quò rapis Cleio? videor repente
Iam ſuper Pindo, gelidoue in Hæmo,
Iamq; Pernaſſi placido vagari
Vertice montis.

Ecce, quæ cerno, loca grata, Tempe?
Quaſq; per ripas eo, quos per amnes?
Quis Caballini mea labra fontis
Proluit vndâ?

Proluor; nam quæ mihi mens canendi,
Quis furor vênit nouus, vnde tantus
Ardor inuaſit? libet incitatum
Fundere carmen.

Daulias non me Philomela cantu
Non olor vincet, licet illa triſtes
Defleat caſus, licet ille iam ſit
Iam morituru.

Verſibus non me ſuperet Catullus,
Nec lyrâ Flaccus, licet ille doctus,
Hic licet præſtet Lyricis, & aſtra
Vertice tangat.

Quid

Quid moror? non me ſuperabit Orpheus
Thracius, quamuis pater huic Apollo,
Nec Linus, quamuis Dea mater illi
Calliopea.
Soſpes exſtructo (memorare dulce eſt
Quod pati durum nimis ab fuiſſet)
Soſpes erepta eſt quaſi fax Eliſa
Nuper ab igne.
Quam malignorum propè funerarat
Turba periuris ſcelerata dextris,
Ni Deus tutam medios per enſes
Eripuiſſet.
Ergo ſi remo mare defatigans
Seruus Hiſpano, mediiſué Turcis
Degerem infelix, Libyciſué nudus
Syrtibus exul,
Annuos læto tamen ore cantus
Funderem, ad remi modulantis ictum,
Muneris tanti memor, exararem
Carmen arenâ.
Iamq; vix memet capio, libetq;
Eloqui, mens eſt vlulare ſyluis
Manadum ritu, iuuat, & decorum eſt
Ire per antra.
Efferor; quid ſi minùs appropinquet
Auri[illegible] diua mea vox Eliſæ?
Audient colles tamen, & ſonabunt
Vndiq; rura.
Voce campanas ſuperabo ſeptem,
Audiet longè, mediumq; ſeſe
Rumpet Hiſpanus, veluti ſolutus
Carmine ſerpens.

Audient dumi; neq; vel leænæ,
Vel lupi occursum metuam, vel apri,
Dum cano lætus nece liberatam
Elisabetham.
Me tegat mundi plaga inhospitalis,
Seu gelu squallens, nimioué sole,
Dulce erit saluæ meminisse Elisæ,
Dulce referre.

Proditorum nefarios conatus plerumq; irritos esse,

ODE 4.

QVó Proditorum stulta ruit cohors?
Quíd spes inanes pascit, & impias?
Quíd nectit occultos furores?
Et vacuas meditatur iras?
Ecquando vanos sentiet exitus,
Tristesq́; casus, illachrymabili
Fato trahentes se, domumq́;
Et proauos, sobolemq́; nequam?
Namq; vt reuulsam seditionibus
Deleret vrbem Gallus, & insolens
Hispanus, authores ad ipsos
Quanta mali quoq; pars rediret?
Delectet hostem proditio, tamen
Quis Proditorem diligat, aut fide
Credat secundâ, ex quo fefellit
Prima Deum, patriam, & penates?
Suspectus ergo turpiter exiget
Vitam, acriorem morte, sibi grauis,
Et seculi crimen, Deiq́;
Ira furens, hominumq́; pestis.

Quid

Quid quòd rebellem turris aheneæ
Vt cingat, & nox vel pice nigrior
Occultet insanos tumultus,
Ante diem facinus patebit?
Claudat fenestras impius, & fores
Obducat intus mille, tegat leues
Rimas, recessu Dedalæo
Implicitum Labyrinthus abdat:
Postes loquentur consilium tamen,
Eliminabit ianua, garrient
Ipsæ volucres, & susurros
Ambiguos pia musca sparget.
Ne crede syluis, cùm scelus apparas,
Aurita sylua est: ne domui tuæ,
Muris ocelli insunt, domusq;
Tota nefas videt, & recludet.
Vt nemo prodat: ne tibi, ne tuæ
Confide menti: sæpe tremens timor,
Horrorq; vultus, sæpe pallor,
Sæpe stupor scelus occupauit.
Vt tute celes: quæ tamen exedent
Curæ, quis angor pectoris, & minæ
Insomniorum? hic crede Manes,
Et triplices habitare Diras.
Omnem expauescit Proditor ad sonum,
Horret susurros, omnia dum putat
De se referri, seq; nullo
Proripiet pede persequente.
Collum ille zonâ pensilis a trabe,
Rectè sequutâ fregit, eum furor
Torsit, venenum absorpsit alter,
Hic proprio latus hausit ense.

Si cogitati tanta animum grauet,
Quæ deprehensi est sarcina criminis?
At perpetrati quanta pœna est?
Qui stimuli, furiaq; pungunt?
Vltor rebellem persequitur Deus,
Et cogitatos deserit exitus,
Ridetq; fraudes, & nefando
Supplicium capiti reseruat.

In Proditores, summeque impium facinus esse Principi violentas manus inferre,

ODE 5.

Quisquamne credat? religio nefas
Immane velat; tollere Principem
Cœlo beatur, resq; sancta est;
Grande scelus, pietas vocatur.
Hoc crimini vnum defuerat, Deum
Facto aduocari: desine Proditor
Et numen insons inquinare,
Et Superos onerare probris.
Saulemne Dauid prodidit impium,
Iam certus hæres? quid simile est tamen?
Nec Saul Elisa est, nec, futuro
Vos geritis pia bella, Regi.
Is nescienti grande nefas putat
Scidisse vestem: vix cyathum manus
Hastamq; tollit; vos Elisæ
Et vigili, caput auferetis?
Is fata Saulis tristia flet pius,
Et nuntiantem morte remunerat,
Vel mentientem; vos Elisam
Fletis adhuc superesse terris?

Certè

Certè tyrannum, vel citus auferet
Morbus, vel ensis. quem patitur Deus
Nos ferre par est, & piorum
Arma, preces lachrymaq́, sunto.
At Sheba Regem pessimus optimum
Conatur armis tollere subditis:
Dauidis ergo est non ferire,
Degeneris fera dextra Shebæ est.

Ad Serenissimam Reginam Elizabetham, ne Proditoribus parcat, eiusque salutem Deo charam esse,

ODE 6.

O Patre forti filia fortior,
Et matre pulchrâ filia pulchrior,
Regina, nostrarumq́, robur
Post Superos, columenq́, rerum:
Dic diua virgo, mens tibi quæ fuit?
Vultus serenos quis subijt color,
Cùm Proditorum prima nuper
Fama tuas violaret aures?
Ecquid timebas? ecquid & ingenis
Pallor sedebat? pectoris O fides:
Non tu timebas virgo multos,
Cerua canes, placida agna tygres.
Illud gemebas, quòd fuerat tibi
Stringendus ensis; quíd doleas tamen?
Effer secures, & nefandum
Pœna comes scelus insequatur.
Tichburne (quæso des veniam Anglia,
Et diua virgo) me miseret tui;
Dignæq́, fato molliori
Salsberij miseret iuuentæ.

Non

Non illa mens eſt, non animus mihi
Mordere Manes; non ego mortuis
Inſulto latus, non cruoris
Vlla mihi ſubijt voluptas.
Odi cruentum ſupplicij genus;
Veſter redundet ſanguis ei in caput,
Qui crimen ingens ſuaſit, at nos
Nulla grauet ſobolemué culpa.
Sed charitates continet omnium
In ſe una cunctas patria nobilis.
Tichburne, iam nec me tui, nec
Salſberij miſeret inuenta.
Tu me ſeuerum patria, tu facis
Regina, durum: me capitis tui
Regina chari, me tuorum,
Me patria miſeret, meiq;
Sempernè ſtrictas vt latus in tuum
Sicas timeres? tuta foris, pedem
Nunquamné figas? tuné auito
Vt ſolio trepides inulta?
Nos, Proditoris ludibrium improbi
Et præda, ſimus? nos miſeros neci
Deſignet impunè, & ſuperbum
Inſtituat, duce te, triumphum?
Illi periclo diſpereant ſuo
Nati gygantum ſanguine; ſpiritus
Contunde ſublimes, malumq;
Eueniat malè cogitanti.
Pindo Typhoëus Pelion obruat,
Oſſamq; Olympi mole cacuminet,
Frendant Gygantes, & reuulſas
Enceladus iaculetur ornos:

Maior

Maior, trisulco fulmine, Iuppiter
Sternet rebelles, impiger aggeres
Euertet, aterniſmq; flammis
Sulphurea cruciabit Ætna.
Titana proles consilij ferè
Expers, ruinam mole trahit suâ.
Odere Diui quicquid altum
Tentat iter, vetitumq; nobis.
Celo minatur qui solio inuidet:
Cognata regum est condicio Iouis:
Quos qui lacessit fraude, seu vi,
Ille Deum petit impotenter.
Vnquammé surgat tam nigra lux mihi
Quâ casam Eliſam vulnere defleam?
Non illa lux surget, Deusué
Tale nefas patietur vnquam.
Nec te venenum, nec dolus auferet,
Nec sica, nec vis; molliter occides
Matura fatis, hæc Sibyllam
Crede tibi cecinisse vatem.

Sereniſſimæ Reginæ noſtræ ELIZABETHAE, tot capitales perditorum hominum inſidias, immeritiſſimò indigniſſimeq; factas eſſe,

ODE 7.

MIretur ætas poſtera ſanior,
Cur Proditores noſtra tot extulit:
At cur Eliſæ tot parârunt
Exitium, meritò ſtupeſcat.
Non Frater iſtas iam puer, aut Soror
Senſere fraudes, non Pater inclytus
Henricus armis, non, amicus
Pacis, Auus, proauiq; Reges.

Num

Num Frater illam mente piâ, Soror
Clemente vicit? num Pater arduâ?
Prudentiâ num laude neptim
Vicit Auus, proauiq; Reges?
Quando illa tantum commeruit nefas?
Quâ parte peccat? quo scelere est nocens?
Tantas quid iras concitauit
Non nisi cade ferâ expiandas?
Quando illâ dulcem sæua virum abstulit?
Quando reliquit? num tragico dedit
Dignas theatro nuptiales
Tot populi Procerumq; strages?
Quem læsit vnquam? quos nisi perditè
Ferro irruentes sponte suâ, piger
Percussit ensis? quêis libido est
Carnifices hebetare cultros.
Si quærat illa; en, cuius ego bouem
Aut cuius agrum detinui, malum
Cui fraude feci? an non Britanni
Id referant? Nihil abstuliſti.
Non illa Circe est, non animi impotens
Medea. ferro, perfide, quam petis?
Cur stringis ensem? siste, Elisa est,
Cui properas aperire pectus,
Quâcunq; curru sol habitabiles
Illustrat oras, optima principum:
Regina virgo, cui quid ætas
Nostra videt simile, aut videbit?
Percurre Reges, quos habet vndiq;
Immensus orbis (liuor edax mei
Absit Camænis) inter omnes
Luna micat, velut inter astra.

Cuius

Cuius beauit tot meritis Deus
Tam mite regnum, dum miserè fremunt
Armis, & ardent Marte gentes,
Alta suos tegit vmbra pacis.
Priuata sceptro si posito foret,
Quis non Elisam diligeret tamen?
Cui non placeret? quis potenti
Imperio genitam negaret?
Qua forma vincens Sithoniam niuem?
Qua vita? qua mens? qua sine crimine
Dulcedo morum? absolueretur,
Inuidiâ licet assidente.
Laus ergo sanè est magna, viri cadat
Si virgo dextrâ, si rapiat piam
Miluus columbam, vultur agnam,
Sanguineo lupus ore ceruam.
Gaudentne cæsâ virgine Cælites?
Hac placat illos victima? cur Deos
Pretendis insontes? Elisam
Cur gladio petis innocentem?
Crudele pectus, Proditor, exue:
Vagina ferrum condat, & excute
Sensus nefandos, & cruore
Parce pio scelerare dextram.

Ad Christianos Reges, vt transfugas Proditores finibus suis exterminét, Ode 8.

SAluete Reges, progenies Deûm
Et certa proles, imperium quibus
Cælo secundum, vestra virtus
Et Superi faciles dederunt:

Seruate

Seruate cauti sceptra, satellites
Fidi coronent; Proditio furit:
En sanguinis vestri nefanda
Quæ subijt sitis hauriendi?
Vos, Proditores hospitio procul
Arcete regni perniciem trahent
Exempla vestris, totum ouile
Tabida cuius vitiabit vna.
Quæ grande mens est ausa nefas semel,
Claroq; gaudens sanguine dextera
Nunquam quiescet, nec colorem
Lana bibit vitiata primum.
Impunè per vos in dominans caput
Audebit oris Proditor improbi?
Impunè maiestas iacebit
Quisquilijs hominum terenda?
Vnita fors est tot dominantium;
Quenquam quod vrit, quemq; premat malũ.
Ardente vicini camino,
Vestra domus caueat fauillas.
Quò Musa tendis? desine Regibus
Garrire nostram summa breuis decet
Legationem, longiore
Purpureas onerabis aures.

Ad nostrates Anglos, vt quibuscunq; partium studijs ducti, externum dominatum omnes abominentur.

ODE 9.

O *Luce dulci Patria dulcior,*
Et chara Tellus, pars animæ meæ
Non parua, ductricem Britannam
Compositis odijs sequamur.

Qua-

Quæcunque noſtras relligio imbuit
Mentes, Eliſam præferat extero.
Quæcunq; diſcordes fatigat,
In patriam pia nulla ſuadet.
Quam ſolus vt tu mente regas tuâ
Vis eſſe nullam, Proditor? extera
Suſpecta vis eſt, nec recedet
Turba valens, ſitiens q; regni.
Vt ſana fiat Patria, ſanciam
Hoſtim é trades, qui ſolidas ſimul
Partes aduret, qui ſecabit?
Horribilis medicina bellum eſt.
Quó priſca virtus, quó recidit vigor
Innatus Anglis, indocilis pati
Nutus heriles tranſmarini
Imperij, regimen q; durum?
Hos miles agros, has ſegetes metet
Hiſpanus, auro, non numero valens?
Hæc arua Gallo conſeruntur?
Hæc mea ſunt, veteres coloni
Migrate, victor dicet? & inſolens
Cadet morantes? nos taciti metu
Ceruice ſubmiſſâ, ſuperbi
Turpe iugum domini feremus?
Æterna me nox antè, precor, tegat,
Enſiſq; tollat vulnere patrio;
Seruire fas O ſit Britanno;
Seruitium domino leuatur.

FINIS.